



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Qua charitate sint. I

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

menti. Tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente, diliges Deum: quod est summū præceptum.

Questio de præcepti ratione.

Aug. in eodem lib. de perfectione iustitia continuò to. 6.

Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cum in hac vita eam nemo habeat? Quia non rectè curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Ecce habes cur illud præceptum est quod hic penitus impleri non potest. Impletur tamen ex parte, scilicet secundum perfectionem viæ. Alia est enim perfectio currentis, alia peruenientis. Facit hoc mandatum vt cursor, qui Deum ante omnia & præ omnibus diligit, nec tamen omninò perficit.

Quod alterum mandatum in altero est.

*Rom. ii. c. 6.
Galat. 5. c.*

Cum autem duo sint præcepta charitatis, pro utroque sæpe vnum ponitur, nec immerito: quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Vnde Apost. Omne mandatum legis dicit instaurari, i. contineri & impleri in hoc verbo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Christus dilectionem proximi specialius commemorat dicens. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vbi illud maius mādatum dilectionis Dei videtur prætermissum: sed bene intelligētibus, vtrumque inuenitur in singulis: quia qui diligit Deum, nō potest eum contemnere, quē Deus præcipit diligi: & qui diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta: quam distinguens Dominus ait: Sicut dilexi vos, Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed vt haberemus? sicut medicus ægrotos, & quid in eis diligit nisi salutem, quam cupit reuocare, nō morbum quem venit expellere? Sic & nos inuicem diligamus, vt quantum possumus inuicem ad habendum in nobis Deum ex dilectione attrahamus.

Quæ charitate diligenda sint.

I
Sed

Sed quæ hac dilectione diligenda sint, iam inquiramus. Non enim omnia, ut ait August. quibus utendum diligenda sunt: sed ea sola, quæ vel nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicut est homo vel angelus: vel ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, ut corpus quod ita præcipiendum est diligi, ut ei ornatè prudenterque consularur.

In lib. 1. de doct. Christ. cap. 23. in princ. Ibid. in prin. cap. 25.

SI ILLO PRÆCEPTO IVBEMVR DILIGERE totum proximum & nos totos.

DISTINCT. XXVIII. A

Hic potest queri: utrum in illo mandato dilectionis proximi, totum proximum, id est, animam & corpus, nosque ipsos totos diligere præcipiamur. Ad quod dicimus, omne genus diligendarum rerum in illis duobus mandatis contineri. Quatuor enim diligenda sunt, ut ait Aug. Vnum quod supra nos est, scil. Deus: alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos est, scil. proximus: quartum, quod infra nos est, scilicet corpus. De secundo & quarto nulla præcepta danda erant, scil. ut diligeremus nos vel corpus nostrum: præcipitur autem Deus diligi & proximus. Ut autem quisque se diligat, præcepto non est opus. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui quia nemo unquam carnem suam odio habuit. Nam viri iusti, qui corpus suum cruciant, non corpus, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Hic videtur Aug. tradere, quod ex præcepto non teneamur diligere nosmetipsos, vel corpus nostrum: quod si est, non omnè genus diligendarum rerum illis duobus præceptis continetur: quia cum & nos ipsos & corpus nostrum diligere debeamus, ad quid necessarium est præceptum, cum scriptum sit. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Sed speciale de hoc præceptum non erat dandū, nec speciali præcepto

De charitate quantum ad diligibilibium numerum & distinctionem.

Ephes 5 f Ibid. cap. 24. in princ.

Psal. 10.